

nam nostram in eterna prædestinatione singulari privilegio man-
nitam; nec a sua Conceptione in aliquo violatam, sed semper
mansisse, & permanisse illibatam.

XIII. Pergit auctor libelli, & Mysterium Præsentationis
quasi censoria potestate sibi sumit examinandum. Quidam, in-
quit, illud confundunt cum Mysterio Præsentationis Christi
in Templo, sumendo Præsentationem active comparative ad
Virginem, passive respective ad Christum. Tamen juxta uni-
versalem præxim Ecclesiæ Mysterium Præsentationis Christi
respective ad Virginem vocatur Purificationis Mariae. Et pau-
lo post: Auctores fere omnes illud sistunt in quadam pia tra-
ditione, qua supponitur, parentes Mariæ, dum triennis erat,
eam obtulisse Domino in Templo ad similitudinem Anne matris
Samuelis, quæ Domino obtulit infantulum illi divinitus datum,
ut Deo serviret in Templo. Sic parentes Mariæ præsentarunt
Domino sanctum puellam, Levitis, & Sacerdotibus signa-
runt, ut eam collocarent in Asceterio pro educatione puella-
rum prope Templum constructo, in quo pie creditur solemniter
Deo vovisse virginitatem suam. Subinde addit: Libenti animo
huic sententiæ adhererem, si purgaretur a multis fabellis in
apocryphis libris enarratis. Tandem concludit: Relictis hi-
sce fabellis, & Præsentatione Virginis purgata ab hisce apocry-
phis narratiunculis, Mysterium erit Præsentatio Virginis in
Templo facta a parentibus. Festum in Oriente antiquum erat:
in Ecclesiâ Occidentali celebratum fuit sæculo XIV. cum Offi-
cio particulari, quod justis de causis abrogavit Pius V.

In paucis verbis vitia non pauca notanda sunt. Primum, si
piam traditionem pro ea sumere velis, quam nihil prohibet
cum errore posse conjungi, vehementer erras. Ecclesiâ enim
publice colit Præsentationem Deiparæ. Quod autem colitur
ab Ecclesiâ, falsum esse non potest; ideoque nec Præsentatio
Deiparæ a parentibus facta. Est ergo non solum pia, sed
etiam certa traditio, quam tenet Ecclesiâ, dum cultum decernit
Præsentationis Deiparæ. Deinde libellatoris audaciam
quis ferre possit, cum ita loquitur, *Libenti animo huic sen-*
tentiæ